



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 1059. Num Clerici esse possint gubernatores sæculares, officialis & ministri laicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

num. 33. q. 8. Barbol. in c. ex literis. de excess. pral. n. 5. Molin. Tom. 5. tr. 3. d. 74. n. 5. Reif- fenst. b. t. n. 13. ratio de cætero sic statuendi Jure Ecclesiastico fuit, quod, cum Clerici electi à Christo ad tractanda mysteria salutis, imitandamque ejus mansuetudinem ac lenitatem, judicium sanguinis, ad quod spectant dictæ actiones, maximè dede- ceat eorum statum & conditionem. Ac proinde, dum Episcopus seu quicumque alius Prælatus vel Clericus jurisdictionem temporalem obtinens (sive ratione Ecclesiæ seu dignitatis ecclesiasticæ, sive ratione patrimonii, ut Pirh. *b. t. n. 14.* cum Frane *in cit. c. 3. & ult. b. t.*) licet per se has actio- nes exercere nequeat, potest tamen curare, eas per alios sibi subiectos exerceri. qui specialis est casus, in quo potest quid per alium, quod per se ipsum non potest, ut Gl. *fin. in. c. 3. h. t. in 6.* quare homicidio vel alio maleficio, quod mortem meretur vel mutilationem, commisso in sua jurisdictione, potest ac debet suo Judici aut alii cuicumque dele- gare seu injungere, ut super hoc veritatem inquirens justitiæ debitum exequatur absque eo, quod irregu- laritatem incurrat; quamvis ejus Judex vel alius, contra malefactores processerit, ad pœnam sangui- nis justitiæ mediante. quin & absque eo, quod, si Judex processerit contra justitiam, Prælato dele- ganti id imputari possit ad culpam; quia mandavit fieri justitiam, ita serè in terminis. *c. 3. b. t.* Cir- ca quæ passim notant AA. *in cit. c. Clericus 5. aut ju- dicent. & Abb. ibid. n. 12.* consultum esse, ut tales Prælati non specialiter, sed generaliter commit- tant alicui Laico potestatem cognoscendi causas sanguinis, & faciendi vindictam de omnibus male- factoribus. Quod si verò in tali causa ab illo Juce delegato appellare lubet, appellandum Prælatum delegantem, qui hanc causam rursus alteri dele- gare debet; cum etiam in casu appellationis per se ipsum talem causam cognoscere nequit. ut Gl. *in c. Clerici. b. t. V. aut judicent. & in c. 3. V. Episcopus.*

Quæst. 1058. An & quæ officia milita- ria obire possit Clericus?

R Esp. Præterquam quod Clericis juxta dicta su- pra, per se pugnare, seu manum cum hoste conferere nullatenus licitum sit, prohibitum quo- que est Clericis in sacris constitutis, multoque magis religiosis, per *c. eos. 20. q. 3. c. quicumque. 23. q. 8. cit. c. sententiam* obire alia officia militaria, v. g. Belliducum & Capitaneorum, ordinando aciem, sive in bello justo, sive injusto; præstendo ballistariis & dirigendo machinas, & tormenta bel- lica. Idem dicendum videtur de Commissariis bellicis castra sequentibus, & comæatum seu annonam bellicam comparantibus & distribuentibus. ac ita ex ea ratione, quod similia tractare dedecat specialiter electos in milites Christi, quorum potius est vacare orationi, & imitari, ut dictum, ejus mansuetudinem, quam etiam hac ratione coope- rari ad effundendum sanguinem, docent cum D. Thom. 2. 2. q. 20. a. 2. Suar. *de bello. d. 13. f. 3. n. 5.* Molin. *de 7. & 7. tr. 3. d. 108. n. 12.* Pirh. *b. t. n. 21.* & alii communiter. quod aliqui cum Covar. *in clem. si furiosus. p. 2. §. 3. n. 2.* negant de Clericis minoribus allegantes consuetudinem. Alii verò, inter quos Wiestn. *b. t. n. 12.* & hos, si benefi- cium habent & privilegium fori, & animum in Clericatu perseverandi, comprehendi volunt hac pro- hibitione & citatis juribus, utpote indistinctè lo- quentibus, saltem extra casum extremæ necessitatis. De cætero Sacerdotes & Religiosi piè ac laudabili- ter sequuntur castra, & in iis versantur, ut militi-

bus celebrent missam, aliaque sacramenta & divina administrent, eosque ad pugnandum, si bellum ju- stum sit, animent, modò ad occisionem alicujus ho- stium expressè & determinatè non excitent. nonob- stante, quod in *C. 5. de penis*, dicantur deponendi juxta Canonum veterum rigorem, qui ad confi- gendum milites incitant. quia id intelligendum de incitatione ad pugnam injustam, vel ad determina- tam hostilium personarum occisionem, ut Suar. *de censur. d. 47. f. 6. n. 1.* Conz. *in c. fin. de homicid. n. 14. in fine.* Wiestn. *b. t. n. 13.*

Quæst. 1059. Num Clerici esse possunt gubernatores seculares, officiales & ministri Laicorum.

R Esp. Ad primum: *c. Clerici. §. inhibemus. b. t.* sub interminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ post monitionem canoni- cam (ut ex verbo *subjaceant*, quo utitur textus, mi- nisterium hominis non exigente colligit Nav. *c. 27. n. 117.* Suar. *l. c. d. 23. f. 3. n. 22.*) Sacerdotibus (latius accepto homine, nimirum comprehen- do Diaconos & Sub-Diaconos, seu in genere omnes in factis seu majoribus ordinibus constitutos, ut Arg. *Can. de crimine 15. q. 5. & c. si quis. de cobab. cler. & mul. Abb. in cit. Clerici. n. 8.* Sylv. *V. ex- communicatio. q. n. 28.* apud Wiestn. *b. t. n. 20.* qui tamen addit, hanc hujus nominis acceptionem raram & in jure vix receptam extra casus exceptos) prohibetur officium Vice-Comitis (qualis dicitur, cui dominus secularis committit jurisdictionem in aliquibus castris vel terris, ut Pirh. *n. 19.* ex Durand. *in specul. l. 1. pract. c. 3. tit. de Vice-Com.*) item Præ- positum quo nomine hic venit officialis Laicus. *c. ex parte de V. S. juncta Gl. V. præpositus*, vel etiam gubernator alicujus provinciæ vel civitatis. Præs- Curia seu Cancellariæ Principis. Dictam tamen ex- communicationem non incurrit Episcopus talem offi- cium gerendo, censurâ illius personam non afficien- te, nisi illius fiat mentio juxta *c. quæ periculosus. de sent. excom. in 6.* etsi peccet, si id faciat sine licentia Papæ. De cætero, dum talibus Prælatis comperit jurisdic- tio temporalis, licitè exercent talem jurisdictionem.

2. Resp. Ad secundum: Clerici, etiam non Sa- cerdotes, non possunt esse ministri Laicorum, aut fa- muli domestici. Arg. *c. 2. h. t.* quod, ut ibi Abb. *not. 1.* intelligendum de Clericis constitutis in sa- cris, aut beneficiatis, neque esse procuratores rerum Laicorum juxta *idem c. 2.* ne quidem extra judi- cium, ut Gl. *ibid. V. in causis*; quamvis esse possunt procuratores in judicio coram Juce Ecclesiastico secundum dicta, saltem in causis ecclesiasticis, non tamen coram Juce seculari, nisi ex caritate, amicitia, vel causa pia ad unum alterumve negotium, non ad omnia. Pirh. *n. 17.* cum Abb. *in cit. c. 2. n. 2. & 4.* juxta *c. ult. dist. 86.* Sed & prohibentur esse procuratores villarum Laicorum (per quod etiam videntur intelligendi quæstorum Laicorum) aut ju- risdictiones quasdam seculares sub principibus viris exercere. per *c. sed nec b. t.* sub interminatione de- positionis ab officio seu ministerio ecclesiastico. quin & strictius teniendus religiosus, si quid ex præ- dictis attentaverit. Pirh. *n. 18.*

Quæst. 1060. An liceat Clericis exercere chirurgiam.

R Esp. Clericis constitutis in sacris, vel etiam in minoribus tantum habentibus beneficium competens (prohibita siquidem constitutis in sa- cris prohibita quoque censentur constitutis in mi- noribus, dum beneficium habent, ut Sanch. *L. 6. mor. c. 15. n. 15.* Nav. *in comment. 4. de regul. in fine*) prohi-